



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hiob

Brenz, Johannes

Haganoæ

VD16 B 3079

Cap. XIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36516

Impiorū iudicia exempla sunt pijs.

iudiciū, non sine cōsilio fit, scilicet, ut moneat, ne pro-
speritatibus impiorū moueamur, scientes iudiciū cap-
ti eorū imminere quā citissime : ut habes in hanc
pulcherrimū Psal. 72. Quā bonus Deus his qui in-
cto sunt corde: quanquā enim amici, ferē hęc iudicia
in Hiobem torqueant imprudenter: sunt tamē inter
uerissimæ sententiæ in nostram doctrinam scriptæ.

CAP. XIX.

Respondens Hiob, dixit.
Usquequo adfligetis animam me-
am, & obtundetis me sermonibus?

Iam denis uicibus ignominia affecistis
me, & nō erubescitis cōdemnantes me.

Quod si uere errauero, mecum habita-
bit error meus,

Sed uere super me eleuamini, & argui-
tis me ad obprobrium meum.

VSQVEQVO AD FLIGETIS &c.

Vide obsecro, quid sit in homine, à Domino dere-
lictio: is enim Hiob, qui supra manu Domini innixus,
grato animo sustinuerat direptiones bonorū, mortes
liberorū, grauissimas corporis plagas, nunc nō potest
uel duriusculum amicorū uerbum ferre. Non erat qui
dem

dem Hiobi conuiuendū, ad falsas amicorū calumnias, quibus carnaliter Dei iusticiam excusabant: nō tamen licebat, ideo amaro & indignabundo animo, in amicos inuehi. Atq; adeo hic liber, uel hoc nomine longe Nos agnosca-
 cimus in Hiobe
 cimus nobis cōmendatissimus sit, quod doceat ma-
 ximam scientiā, quæ est seipsum agnoscere: in Hiobe enim mortē præ oculis uidēte, discimus, quid sit homo à Deo derelictus. Quousq; inquit Hiob, molesti estis mihi? quousq; obtunditis me sermonibus uestris? tam enim ignominia afficior, irrideor et condemnor denis uobis, id est, plusquàm satis & sufficienter: nam de-
 natus numerus, consumationis numerus est.

QVOD SI VERE ERRAVERO, ME
 CVM HABIT. Id est, si errauiero, quid ad uos? Reprehensio
 in errauiero, citra uestrum dispendium, nam & in
 hac parte, amici peccant, quod importunitate, imò sine calumnia
 conuicijs, & quod aiunt, criminibus, in suam sententiā sit.
 Hiobem irahere conātur, etiā si enim recte sentirent
 de Hiobis afflictione (id quod longè abest) nō tamen pi-
 um esset, importunis cōuicijs, male ad afflictū tractare.
 Idem habes Rom. 14. Tu quis es qui iudicas de alieno
 famulo? proprio Domino stat aut cadit; nam etiā in
 apud Ethnicos celebris est sententia: Omnis rephē-
 sio, debet uacare contumelia.

SED VERE SVPER ME ELEVAMI
 NI. Id est, scio me non errare, uos potius erratis,

A N N O T. I N H I O B

qui inflati scientia citra Euangelij cognitionē & ueritatē, ac carnali uestra de Deo opinioē turgidi, me ueluti ex alto despicitis, et uirulētia in me debachamini.

Agnoscite uel nunc quod Deus inique egit contra me, & retiaculo suo me circumdedit.

Ecce (etiā) clamauero, non tamen exaudior, etiā si uociferatus fuero, non tamen est iudicium.

Semitam meam circunsepsit, ut non pertransire liceat, & super semitas meas tenebras posuit.

Gloria mea desuper spoliauit (me) & detraxit coronam capitis mei.

Dilaniauit me undiq; ut pereā, & euulsi sit quasi lignum, expectationem meam.

Et iratus est super me furor eius, & reputat me sibi, quasi hostes suos.

Simul uenerunt, accincti eius, & strauerunt sibi super me uiam, & castrametati sunt circuncirca tabernaculum meum.

Fratres meos a me elongauit (Deus) & noti mei, etiā alienati sunt a me.

Dereliquerunt (me) propinqui mei, & noti mei obliti sunt mei.

Inqui

Inquilini domus meæ & ancillæ meæ,
sicut alienum reputant me, peregrinus
sum in oculis eorum.

Seruum meum uoco, & non respon-
det, ore meo deprecor illum.

Malitiam meam horret uxor mea, &
supplex sum filiis uteri mei.

Etiā iniqui spernunt me (si) adsur-
turo (ipsis) loquuntur contra me.

Abominantur me omnes uiri secretarii mei,
quos dilexi, conuersi sunt contra me.

AGNOSCITE VEL NVNC &c.

Multæ sunt promissiones, quibus obligat Deus se,
peccatoribus eorum, qui tribulato sunt corde, affuturum,
regitur conscientia iudicio obiecta, in tribulatione ad
Deum clamans, nec uoti compos facta, adcurat Deum
in iustitia, & insimulat eum mendacij. Ecce, inquit
Ego, uel hinc cognobile fit, Deum iniuste me adflige-
re, quidem clamo ad eum, non tamen exaudior: ne-
mo est qui afficiatur mea iniuria, nemo est qui iudicet
causam meam. Est autem pulcherrime hoc loco, cor-
dis a Domino derelicti cogitatio, descripta: quid enim
aliud cogitaret obiecta morte, subtractio omni auxilio
quodam Deum iniustum esse, qui primum peccata abstu-
lerit, nihilominus tamen peccati authoramentum, mor-

ANNOT. IN HIOB

tem persoluat. Dein pollicitus sit, se laborantibus affi-
 turum: iam uero non solum non affici, sed potius dele-
 ctari nostris malis, uideatur. In tantis igitur, et tam
 Per Christum dentibus inferni flammis, in solū Christū respiciendū
 liberatio. est, qui per omnia fratribus similis factus est, et tenta-
 tus, ut possit & ijs qui tentantur, succurrere. Porro po-
 tes & hæc mitius interpretari, si inique, pro sine caus-
 sa exponas: fatetur enim ipse Deus se Hiobē sine caus-
 sa adflixisse. Sed certum est cor morti adiudicatum,
 nō posse aliter de Deo quā de tyranno & carnifice
 sentire: proinde prior sententia cōmodior uidetur.

ET RETIACVLO SVO. Id est, iudicio
 suo, nulla iusta, & æqua causa me comprehendit.
 SEMITAM MEAM CIRCVMSEPSIT.

Vt in iudicio Hoc est, nusquam uideo auxilium, omnem uiam
 Domini, om- euadendi præclusit mihi Deus, omnia aduersantur mi-
 niā sint despe hi: si ad cœlum respexero, sol & luna retrahunt lu-
 rata. men suum: si ad terram, uideo eam etiam nunc hiscere
 ut me deglutiat: si ad amicos, conuiciantur: si ad alios
 homines, contemnunt & irident me, quocunq; me
 uertero, tenebras et infelicitatē uideo. Domino enim
 aduersante, omnia aduersantur: Domino præcluden-
 te, euadendi uiam, omnia obstant.

Omnia dere- GLORIA MEA DESUPER SPOLI-
 linquunt iudi AVIT. Deus enim iudicio suo spoliat nos: primum,
 cātē Domino omni gloria, imperio, maiestate & honore, nihil reli-
 quum

quum spei relinquens, sed uelut putridū lignum nos
 abiectis. Dein obijcit nobis tanq̄ hostibus iuratisimis,
 et furorem suū. Postremo oēs creaturas, perinde
 ac auxiliares copias, nobis inimicas reddit, ut sequitur.
 SIMVL VENERVNT ACCINCTI &c.

Hoc est, omnium ludibrio & libidini expositus
 sum, usq̄ adeo, ut uix dignum me pedum suorum scam-
 bellum reputent. Accinctus autem & castrametantes
 Genus exponit τὰ περιπέτεια, id est, tentatio-
 nes subinde adorientes.

FRATRES MEOS A ME &c.

Amplificatione quadam, Hiob docet, nihil grauius
 esse iudicio Domini, propterea quod, eo, nō solū spo-
 liatur omni gloria & maiestate, sed etiam per illud
 abalienantur a nobis fratres nostri, ecce enim, inquit
 Hiob, fratres mei, a me recesserunt, dereliquerunt me
 propinqui mei, obliti sunt mei cognati & amici: forte
 hoc tolerabile esset, si domus nostræ, inquilini, &
 omnes, me obseruarent, ac ut Dominū suum agnosce-
 rent, sed & isti uelut alienum me reputant, & in ocu-
 lis ancillarum, quasi peregrinus estimor: seruus meus,
 seu uocauero, seu rogauero eum, nō respondet mihi,
 sed potius contemnit me: hæc omnia adhuc boni con-
 sularem, si in uxore aliquid solatij superesset, sed &
 ipsa usq̄ adeo me abominatur, ut halitum meū exhor-
 rescat. Quid de liberis dicam? aut enim non super-

ANNO. IN HIOB

sunt, aut si supersunt, non iam paterna autoritate et quidpiam præcipere audeo, sed rogare & obsecrare cogor, si quid impetratum uolaero: in summa, omnia aduersantur et abominantur me. Cõsidera nunc quanta crux sit à sua propria familia despici & rideri.

ETIAM INIQVI SPERNUNT ME &

Hoc est, non solum contemnant me noti, propinqui, serui, ancille, uxor & liberi, sed etiam impij & uiles, ac inglorij me rident: quos etiã si honorifice tracta uero, conuuantur tamen mihi, & præ se tanquã melioribus, me ueluti abiectissimum, spernunt: præterea, qui quondam erant mihi à secretis, quibus cum omnia consilia communicabam, hi usq; adeo me non agnoscunt, ut pœnituerit eos familiaruatis, quam me eũ habuerunt. Quorsum hæc enumerantur? ut discamus, sollicitè cũ Deo ambulare, et curare per resipiscẽtiam, ut Dominus sit nobis per fidẽ amicus, hoc enim fauente, oĩa fauent, hoc inimico, omnia sunt inimica.

Pelli meæ & carni meæ adhaeret os meum, ut (uix) tegam cute dentes meos.

Miseremini mei, miseremini mei, uos amici mei, quia manus Dei tetigit me.

Quare persequimini me sicut Deus, & a carne mea non saturamini?

Quis dabit nunc, ut scribant sermones mei?

mei quis dabit, ut in libro insculpantur.

Stylo ferreo & plumbeo, ad aternitatem, in saxo incidantur.

Et ego noui (quod) redemptor meus uiuit, & nouissime de puluere excitabit.

Et postea de pelle mea circundabuntur ista, & de carne mea uidebo Deum.

Quem ego uidebo mihi, & oculi mei conspicient, & non alium, consumpti sunt renes mei in sinu meo.

Quid dicitis, quomodo persequemur eum, & radicem uerbi inueniemus contra ipsum.

Expauescite uos a gladio, quoniam ultor iniquitatum, gladius est, ideo agnoscatis potentiam.

PELLI MEAE, ET CARNI MEAE.

Adcedit hoc ad grauitatem iudicij, quod non solum conscientiam adfligat, sed consumat omnes etiam corporis uires, & exugat omnem carnis florem, usque adeo, ut fere per cutem uiscera spectari possint, & ossa sub in carnis extent arida lumbis, sic Psal. 35. Lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea.

MISEREMINI MEI &c. Iste locus non ad mortuos in purgatorio, ut fingitur, clamantes pertinet, sed ad uiuos, ut discant in nullo homine, quan-

Locus falso de purgatorio intellectus.

ANNOT. IN HIOB

Quicumq; amicum, confidere. Porro, aliud est confi-
dere in hominem, aliud de homine bona sperare: al-
terum prohibet fides, alterum docet charitas: de omnibus
enim hominibus bene praesumendum & sperandum est,
at in nullum confidendum, nec in amicissimos, propterea
quod Domino recedente, recedunt non solum amici,
sed & oēs creaturae: unde clamat Hiob ad amicos, ut
vel ipsi misereantur, q. d. uideat totus mundus, nusquam
esse tutam uitam, nusquam securum asylum esse; non dico
apud inimicos, uerum etiam apud amicos, nam & ipsi
me persequuntur, sicut Deus me persequitur, & ex-
superior sanè re ipsa, Domino persequente, omnia quae
tuncumq; amicissima, inimica fieri. Sic & Dauid in-
quit, qui iuxta me erant, de longe steterunt.

QVARE PERSEQVIMINI &c. Id est, ue-
strum esset me consolari & dolorem uerbis beneuolis
mitigare: sed, ut uideo, colluditis omnes cum Deo, quan-
do quidem enim Deus me adfligit, existimatis uobis nunc
licere, mihi aduersari: nam hoc mundi ingenium est,
quod benedicat, quem extrinsecus Deus benedicit, &
maledicat, quem extrinsecus Deus maledicit.

ET A CARNE MEA NON &c. Id est,
quandiu conuitijs me laceratis? nam saturari carne,
est mordere clanculum, detrahere & calumniari: can-
calumniatores, lumnia enim & detractio absentis, perinde est, ac
carniuora, carnis humanae dilaniatio: hic enim, absentem de fieri
sunt fratrum. to cad

to calumniatis, ore suo brachiū demordet, alius de ad-
 alterio quempiā falso traducens, uel pedem uel aures
 abrodit, & unusquisq; adcumbentiū, ut ex cibo pro-
 posito, ita & homine absente, per calumnias præsenti-
 ter, suam partē aufert, ut cōuiuē iam non solū panuuo-
 ra, sed & hominuora dici possint: in Scythia dicun-
 tur esse ἀνθρώποι φάγοι, humana carne uescentes:
 quasi si dispersi essent in totū orbem? non minus enim
 calumniatores, homines deuorant, quā Scythæ.

QUIS DABIT UT SCRIBANTUR &c.

Optat Hiob, ut sermones sui immortales sint, &
 in longū æuum durent, hoc enim est stylo ferreo in-
 scripti, & exarari plumbo, ut est Hiere. 17. Peccatum
 in stylo ferreo scriptum est, & aliās leges dicun-
 tur in aes incidi, ut immortales maneant & firmæ. Ita
 & Hiob, optat suorum sermonum immortalitatem:
 prout, ut sint testimoniū doloris sui, & horrendi Deī
 iudicij: dein, ut posteri habeant, quod iudicent inter
 ipsum & amicos eius, quasi diceret: ideo opto meos
 sermones æternos, ut & posteri uideant, me iustam
 habuisse causam, aduersus iniquas amicorum calum-
 nias: postremo, ut exemplo eius discamus, in medijs,
 etiamnum inferni flammis, in futuram resurrectionem
 & liberationem respicere, ut sequitur.

ET EGO NOVI (QVOD) REDEM-
 PTOR. Caterum, quod ex Hebræo legitur, in saxo

Hugonis lapsus incidantur, uetus translatio habet: uel celte sculpsus.

Incidentur in silice. Super quem locum, Carrensis adnotat. Celtes, inquit, instrumentū est, quo literæ uel imagines sculpantur in silice. Vide quæso, mi lector, quomodo insulse tractent diuinam scripturā, qui literarū ignari sunt, neque enim uel celte instrumentū est, neque in Hebræo reperitur, nisi forte pro **צֶלְתַּי**, interpretari uolueris (uel certe, pro quo falso celte legitur) sed eadem **צֶלְתַּי** (ad æternitatem) significat, non (certe)

ET EGO NOVI, QVOD REDEMPTOR &c. Clarissima fidei confessio, adeoque hoc loco manifestam fit, que sit uera fidei ratio, nempe, credere uitam in morte: credere cœlum in inferno, credere Deum redemptorem in ira & iudicio, ut recte Apostolus, quisquis fuerit, ad Hebræos dicat: Fides est rerum sperandarum substantia, argumentum non adparentium: in Hiobe enim, nihil minus uidetur, quam uita & resurrectio, sed potius infernus sentitur, noui tamen, inquit, redemptorem meum uiuere, utcumque nunc uideatur dormire, & irasci: scio tamen, & fide prospicio, sub hac ira, ingentem fauorem sub hoc damnatore, redemptorem. Rursum notabis hoc loco, quemadmodum desperatio & spes, in pio, sibi inuicem succedant.

ET NOVISSIME DE PVLVERE EXCITABIT. Etiam si morior, uideo tamen resurrecturum.

tionem, quam qui uidet, non moritur. Habes hic arti- Resurrectio
culam fidei nostrae, carnis resurrectionem, unicū pio- uentura
ram solatium, in omni aduersitate.

ET POSTEA PELLE MEA &c.

Hec, quae modo gesto membra reuiuiscunt, & cir-
cumbuntur mea pelle: quemadmodū enim quod, se-
rumus, non uiuificatur, nisi prius mortuum fuerit:
ita nos, postquam mortui sumus per resurrectionem:
resuscitabimur, excitandi tuba, & uoce archan-
geli, quae sunt uerbum Domini: nam ut nos Verbum
Domini ex nihilo creauit, ita ex putrefactione susci-
tatum, si est carnis resurrectio, cur Apostolus in-
quit: Caro & sanguis, regnum Dei non possidebunt:
ex hoc serupo ipse liberat, dicens, oportet corrupti-
bile hoc, induere incorruptibilitatē, et mortale hoc,
induere immortalitatē, caro enim mortalis, & carna-
lis affectus, regnum Dei non possident, sed caro im-
mortalitate induta.

Verbum, uox
archangeli.

QVEM EGO VIDEO MIHI &c.

Hoc est, is solum est asylum & refugium meum,
in cuius solius manum respiciam, omnes enim alij me
dereliquerunt, is non derelinquet me in finem.

CONSUMPTI SVNT RENES MEI.

Nunc, inquit, nihil tale quod credo, sentio, omnia
sunt aduersa, omnia adcidunt diuersa, credo carnis re-
surrectionem, & uideo interim consumi renes meos,

ANNOT. IN HIOB

in medio corporis mei: quandoquidē non inuentā pro
oculis meis, nisi aduersarios: & qui fuerunt mihi
quondam amicissimi, ij nunc querunt, ut persequan-
tur, ut perdant me, ac insidiantur, si quo pacto, inu-
niant calumniandi ansam (quam hoc loco, radice
uerbi uocat) Psalm. 9. Sedet in insidijs, ut inter-
ficiat innocentem.

EXPAUESCITE VOS A GLADIO

Gladus ultor

Nunc promouet impius uester conatus ô amici,
sed futurus est gladius, futurum iudicium: est enim
gladius, id est iudicium Dei, iniquitatum ultor. Idem
locus cum eo, qui est Ioannis quinto. Veniet hora, in
qua omnes, qui in monumentis sunt, audient uocem
eius, & prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectio-
nem uitæ, qui uero mala egerunt, in resurrectionem
condemnationis. Sic & Hiob ait: ego futuram resur-
rectionem uitæ spero, uobis autem amicis, nisi resur-
paueritis, expectandum est iudicium, & resurrectio
in condemnationem, qua obruentur impij, & qua
Deus puniet iniquos.

IDEO AGNOSCATIS POTENTIAM

Pro potentia Hebræus habet וַיִּשְׁׁוּ , id est, de-
uastatio, uastitas, & est sensus: agnoscite quæso,
nunc seuerum Dei iudicium, quo potenter omnia de-
uastat, & respicite, ne unā cum impijs pereatis in
æternum.

Cap.